Xa
3185

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-95747-p0001-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-95747-p0002-8

H. 17. 10

Xa 3185

MATRONA LAUDATA;
Sive
ORATIO,
Virtutes laudesqve Matronæ
referens,
In
AUGUSTUM NATALEM
Sereniſſimæ Celſiſſimæqve
PRINCIPIS AC DOMINÆ,
DOMINÆ CHRISTIANÆ,
Ducis Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, natæ Principis Holſatiæ, Landgraviæ Thuringiæ, Marchioniſſæ Miſniæ, ut & ſuperioris & inferioris Luſatiæ, Comitiſſæ Marcæ & Ravensberg, Dominæ in Ravenſtein.

In Gymnaſio Martisburgenſi
publicè habita
à

Johanne Conrado Sittig.

Anno Orbis Redemtoris
M. DC. LXXX.

LITERIS FORBERGERIANIS.

BIBLIOTHECA PUNICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

Sereniſſimæ Celſiſſimæqve

PRINCIPI AC DOMINÆ DOMINÆ CHRISTIANÆ

Duci Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, natæ Principi Holſatiæ, Landgraviæ Thuringiæ, Marchioniſſæ Miſniæ, ut & ſuperioris & inferioris Luſatiæ, Comitiſſæ Marcæ & Ravensberg, Dominæ in Ravenſtein.

PRINCIPI CHRISTIANISSIMÆ,

Dominæ ſuæ clementiſſimæ,

Oratiunculam hanc

Cum piiſſimô perpetuæ felicitatis votô,
Humillimè offert
Subjectiſſimus cliens

Johannes Conradus Sittig.

MATRONA LAUDATA
CUM VOTO.

MAtronam laudare animus est. Præstanti aliàs Virtute meritisq; claros Heroas qui memorent, prædicent, eorumq; res gestas in cœlum usque laudibus extollant, freqventes in palæstra apparent Oratoria, multò his rariores videas audiasqve, qvi præstantes fœminas, licèt divinitùs concessis corporis animiq; dotibus, viris nihil aut minimùm certè concedant, encomiis qvæ merentur mactent. Augustum Marones & Flacci plenô collaudant ore, Liviam tacent. Potentiam insolentiamqve Xerxis, Ahasveri in Sacris, non sine magno verborum apparatu profani Scriptores ordinis commemorant, Estheræ, ipsis quæ Atossa esse putatur, Reginæ admodùm Deo devotæ deque populo suo qvam præclarissimè meritæ, satis parca fit mentio, qvòdqve multò est pejus, nullis defuere seculis, qvi qvasi obliti ex fœminis se esse natos, de sexu fœmineô sinistrè sentirent & loqverentur. Menander, Pöeta Græcus, tria ait esse mala, mare, ignem, mulierem. Alius eandem malum dixit necessarium, non nemo febrim hecticam, Aristippus mulierem aliqvando conspicatus pusillam at speciosam, parvum, subjecit, pulchrum at magnum malum. Qvin & Owenus, Epigrammatum scriptor ingeniosissimus, uxorem cum orco impiè comparat, dicens.

Qvisqvis in uxorem cecidit, descendit in orcum,
Rite inversa sonant uxor & orcus idem.

Imò non adeò multis abhinc annis fuit lingvæ homo mentisqve tàm sceleratæ, ut publicô scriptô homines negârit esse mulieres, neqve argumentis undiqvaqve corrasis & conqvisitis ire id confirmatum dubitârit. Rectè hic despuimus & exclamamus: increpet te Dominus, scelerose nugator! hominum certè ordine & consortio excludi dignus es, qvi ex homine te natum esse ipse negas, qvi maledictô tuô scriptô earum famæ laudiqve detrahis, qvibus & ipse, & omnes tui

sexus

ſexus ſecundùm Deum vitam, ſalutem, omnia debent. Cum itaqve fœmineæ Virtutis præco & rarior ſit, & in ea plerumqve laudandâ parcior, Muſæ Charitesqve & ipſæ Virgines fandi mihi Provinciam mandarunt, ac Matronam, Virtutum decore refulgentem maximè, ab omni vindicatam contumeliâ æqviſſimis juſſére me laudibus afficere, qvæ profectò imperia ab eô, qvi in alumnis Muſarum Gratiarumqve ſuum profitetur nomen, haudqvaqvam recuſanda, ſtudioſè potius exeqvenda videntur. Facturus itaqve imperata, faciam, qvod in arte pingendi tirones ſolent, & Matronæ honoratioris Virtutes laudesqve, comites ejus individuas, rudi ſaltem penicillô adumbrabo affectumqve opus primæ ceræ pictoribus, Oratoribus puto eloqventiſſimis fandiqve peritiſſimis perficiendum atqve abſolvendum relinqvam.

Magnam rem atqve difficilem aggredior, à qvâ ſuſcipiendâ mecum ingenii tenuitas, tum ætas ipſa abſterrere poterat, at, ſi deficiant vires, ut canit Pöeta, audacia certè laus erit, in magnis & voluiſſe ſat eſt, nec dubito Humanitatem veſtram, *Auditores ac Patroni omnium ordinum Honoratiſſimi*, totiesqve ſpectatam benevolentiam, precè qvam ſupplici in ſubſidium voco, vocanti eſſe affuturam, inprimis cum NATALI *Sereniſſimæ Principis ac Dominæ, Dominæ* CHRISTIANÆ, *Ducis Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, natæ Principis Holſatiæ, Landgraviæ Thuringiæ Marchioniſſæ Miſniæ, ùt & ſuperioris & inferioris Luſatiæ, Comitiſſæ Marcæ & Ravenſberg, Dominæ in Ravenſtein, Principis ac Dominæ Noſtræ Clementiſſimæ*, Cui veneratione & obſequium, cum plebe pannoſâ Proceres purpurati debent, lingvam vocemqve dicare ac pro ſalute *Ejus* integrâ atqve illibatâ vota facere conſtituerim *nomen tam illuſtre ac venerabile*, gratiam *Auditores ac Patroni, plurimum Honorandi* cum attentô ſilentiô mihi, baltienti licèt, eſſe conciliaturam planiſſimè confido.

Matronæ itaqve Honoratæ Virtutes enarraturus, minimè dicam, dici qvæ poterant ſingula, ſed brevitatis, eruditis qvæ auribus & occupatis gratiſſima & jucundiſſima eſſe ſolet, ſtudioſus, ſumma ſaltem ſeqvar rerum faſtigia. In Matrona, qvâ de dicturum me eſſe dixi, primum omnium honeſtas ſpectanda eſt Nobilitaſqve generis, uti enim è Pöeta Græco dixit Plutarchus: niſi fundamenta ſtirpis jacta ſint probè, miſeros neceſſe eſt eſſe Poſteros, plerumqve fortes creantur fortibus ac bonis, uti in juvencis, in eqvis eſt Patrum Virtus, etiam benè nata ingenia, Majorum exemplis excitata, ad ſtudium Virtutis ſummæqve laudis inflammantur, ſic Fabium & Scipionem dicere ſolitos eſſe ſcribit Saluſtius, qvotiescunqve Majorum imagines intuerentur,

rentur, vehementissimè sibi animum ad Virtutem accendi, eqvidem mortalium nulli, vel locô nato sordissimô, obscurissimô, aditus ad Virtutem, & per hanc ad honores ampliſſimos est præclusus, cum exempla qvam plurima, imô infinita confirment, pauperum Parentum sangvinem ad summos nonnunqvam dignitatis gradûs esse evectum, avitæ tamen Virtutis æmulario generosæ alacritatem indolis adauget animosqve à plebejis studiis avertit absterretqve, sibi dictum esse ratos illud Homericum:

Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Splendorem generis excipit honesta ac legitima educatio, honestatis omnis, scitô Plutarchi, & fons & radix: non enim minimum in eo momenti positum est, ut animi primâ ætate flexibiles maximè optimis præceptis atqve institutis imbuantur, siqvidem, Platone dicente, homo, cujus ille cunqve sit sexus & ordinis, rectam nactus institutionem diviniſſimum animal effici solet, eâ verò neglectâ, ferociſſimum, proinde Drusos laudaturus Flaccus eosdem & eô nomine laudandos autumat, qvòd in penetralibus & qvasi sub oculis Augusti educti, à teneris, Heroas nosse qvæ expedit, didicerint: doctrina enim, ipse ut loqvitur, vim promovet insitam rectiqve cultûs pectora roborant. Benè sic natam eductamqve Matronam commendat unicè, unicè qvæ commendanda est, Pietas, homini Virtus tutiſſima Virtutumqve omnium, Tullianô dictô, fundamentum, una qvæ omnem venustatem gratiamqve, qvâ Deo, qvâ bonis omnibus placemus, complectitur, neqve vel generis Nobilitas, qvæ illustris, vel vultus Majestas, qvæ venerabilis, vel opum affluentia, qvæ optabilis, tantum affert & ornamenti & adjumenti, qvantum sola Pietas, officium scilicèt ùt debitum, sic præstitum Deo, Parentibus iisqve omnibus, qvos diligi coliqve vel dignitas sua jubet, vel merita, non minùs verè, quam præclarè Seneca, in homine, inqvit, in viro, in fœmina nihil ad rem pertinet, qvantũ aret, qvantum fœnoret, à qvam multis salutetur, quam prætioso incumbat lectulo, qvam pellucidô bibat poculô, sed quã bonus ille, qvam hæc bona sit. Pietati, sola qvæ magni æstimanda, reliqvæ Virtutes, laudis gloriæqve genitrices, indissolubili sunt nexæ vinculô: Pietatis enim Matrona cultrix divina maximè curat æstimatqve, nec pluris, tanti qvæ vulgo fiunt, terrena facit crepundia, qvam fieri decet res nihili, res, qvæ ante diem ultimum nisi deserant, in morte certissimè cum damno irreparabili deserendæ sunt. Piè ipsa justè, sobrieqve vivit, qvibus tribus adverbiis officium omne tam re, qvam nomine Christiani A-

postolus

postolus pulcherrimè complectitur, unicè ea unum diligit Conjugem seqve cum Flacco ter & amplius felicem prædicat, qvòd irrupta se & Maritum teneat amoris copula, perosa Phrynen, unô non contentam virô, perosa adspectûs impudicos & alloqvia chartásqve peccare docentes, siqve formosâ sit facie, muta quæ est commendatio, formæ facit, mores ut sint consimiles, si pulchra minus damna formæ morum ut honestate gratiâáqve rependat, annititur, rata deformes bonas meliores esse fœminas, qvam formosas malas, conjugalis illam amoris copulã vis nulla, nulla fraus scindit solvitqve qvod si resurgat cendimanus aliqvis Gyas, haudqvaqvam tamen divellet sic amantu pectora; certè Hypsicratea, Conjux Regis Mithridatis, quô cum Romani per annos quaterdenos maxima satisque cruenta gessêre bella, Maritum in extremis malis deserere noluit, sed habitu virili sumtô victum à Cnejo Pompejo ac fugientem per efferatas gentes animô pariter ac corpore infatigabili comes secuta est constantissimè, nullaque cogente necessitate omni periculo cervices humerosque suos libentissimè subjecit, neque Regia Majestas, opes, deliciæ ipsaque vita, omnium rerum quæ charissima, amorem hunc superavit Conjugalem, Porcia verò, Catonis filia, cum apud Philippos virum interemtum cognovisset, mori & ipsa decrevit ferrôque negatô ardentes ore carbones hausit testante Valeriô Maximô. Alcestis, Regis Admeti Uxor pro Conjuge suo mortem oppetere non dubitavit: cum enim oraculô certior facta esset moriturum esse Regem, nisi esset, qui vitam ejus morte sua redimeret, ultrò nec malo ullo coacta ejus vice ipsa se morti obtulit. Ita apud Indos hodieq; maritô mortuô uxorum quæ charissima lubens ardentes in flammas se conjicit, αυτόπτη attestante Nobilissimô Joh. Alberto à Mandelslo. Inprimis aram exigit Matrona pudicitiæ, dos quæ est optima, quæ pulcherrima scitô Comici, fidem inviolatam, quam debet cui debet, præstat sanctissimè, optimè gnara Conjugium unius esse viri & fœminæ conjunctionem sociamque ferre nec Regna, nec tædas, Majores nostros eô nomine laudat Tacitus, quòd severa apud eos matrimonia fuerint, ac rarissima ingente tam numerosâ ac copiosâ adulteria, apud quam plus ait valuisse bonos mores, quam apud alios bonas leges. Temperantiæ Eadem studiosa multi odit Damalin meri, ἄτοπον γὰρ, ut ait Ælianus, γυνὴ φιλοπότις, ἢ μᾶλλον πολυπότις odit quosvis alios, qui cum porcis Epicuri de grege in cœno se volutant voluptatis & luxuriæ: turpe enim est, effatô Tullii, diffluere luxuriâ & delicatè molliteque vivere, contrà honestum, vivere parcè, continenter, sobriè,

briè. Silentium amat, quod, dicente Tragicô maximè ornat mulieres: ſemel enim emiſſum volat irrevocabile verbum, nec Pax & Concordia, dulciſſima conjugii bona & ornamenta durant perennantque, in loco niſi muta ſit Uxor, ſurdus Maritus. Suſpicax minimè, cum Amicitiæ venenum ſit ſuſpicio, neque in virum, neque in fœminam, quæ bona ſit, cadat; minimè oblatratrix & refractaria, ſed foro temporique cedit & ſervit, inprimis viri nævos, injurias, contumelias leviores muſſitat, tacet, ita memorant Monicam, Auguſtini Matrem, fœminam, cui Pietate parem propemodum neſcit hiſtoria, fabula neſcit, cum cæteræ fœminæ de Conjugum moroſitate & acerbitate queſtæ interrogarent, quô ipſa pacto tolerare poſſet virum tam moroſum & difficilem, reſpondiſſe: amantiſſimè cum virô meo ſvaviſſimeque vivo: cum enim ille in fermento totus eſt, murmurat, lapides loquitur, taceo, aut byſſinis cum verbis geſtuque blandiore compello, ita ad ſe redit iramque ponit. Res ipſa ſuas curat, alienæ quæ domi fiant aut gerantur, parum imò nihil ſollicita, hinc Apelles, cum Venerem in teſtudine ſtantem pinxiſſet, cauſam hujus rei interrogatus reſpondet: quemadmodum cochlea domum circumferens, eidem pertinaciſſimè conſtantiſſimeque adhæret, ita materfamilias ſuis affixa laribus non niſi neceſſitate aut officiô coacta in publicum prodeat & relictis cum domo domeſticis curis ſurſum deorſum curſitet, omnes platéas urbisque angulos perreptans. Benigna ea eſt in hoſpites pauperesque, neque ejus beneficia, ut cum Plauto loquar, poſita ſunt in oratione, ad rem auxiliô emortuô, ſed re & conſilio juvans quas poteſt, adjutrices egenti præbet manus exemplum ſecuta Cimonis, quô de Nepos Noſter memorat, quòd agris hortiſque cuſtodem non appoſuerit ſemperque pediſſequos cum nummis, egentum ſolatiis, comites habuerit, illicò ut eſſet, quod præberet petenti nec differendo quicquam cuiquam negare videretur. Marito denique & omnibus benè rectéque ſvadentibus morigerata gratiam ſibi famamque bonam conciliat nec morte delendam. Plura de his dicturo aurem mihi quaſi vellit Cynthius vetatque has & alias Matronæ Virtutes, quibus enarrandis artifex vix ſufficit poliendæ Orationis peritiſſimus ingenii culpa ſtylique ruditate diminuere.

Ad alteram Orationis meæ partem venio ac *Sereniſſimæ Principi ac Dominæ, Dominæ* CHRISTIANÆ *Duci Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium &c. Principi ac Dominæ Noſtræ Clementiſſimæ* de NATALI, quem ſingulari Dei gratiâ & beneficiô læta & incolumis, populô omni acclamante ſolenne ſuum: Feliciter! Feliciter!

vivendô attigit SEXTO & QUADRAGESIMO gratulor quam possum solennissimè. *Serenitati Ipsius* quam pulchrè quæ de *Matrona Honorata* dixi, conveniant, quam potero, brevissimè ostendam. Polycletus, sculptor insignis, uti Græca memorat Historia, extremâ ultimaque ætate artis suæ præcepta libellô complexus est, quem canona seu regulam appellitavit, ad quam ab artificibus arti suæ addictis opera exigi voluit & conformari, insuper è purissimô marmore statuam, artis traditæ præceptis congruentem formavit, scriptô pariter atque exemplô discipulis suis profuturus, ita cum dixerim, qualis esse soleat imò debeat Matrona, à vero haudquaquam aberravero, si omnium jam earum Virtutum in illa de meliori quæ commendantur nota, imaginem statuamque vivam sistam paulò antè laudatam serisque olim Posteris laudandam non sine humillimi cultus obsequio *Principem Nostram Serenissimam, Celsissimam*, in qua quicquid laudabile in supremi Matronâ ordinis unquam aut usquam repertum est aut reperitur, reperias. Certè si quid generis Nobilitati & Splendori tribuendum, cui profectò plurimum, rectè qui sapit, tribuit, *Serenitati Ipsius* vix ullam sui sexus ordinisque antepones, quippe *potentissimis Daniæ Regibus maximisque Holsatiæ Ducibus* editæ. *Tam feliciter natam Parentes Celsissimi, sanctissimi* quô decuit studiô *castissimi amoris pignus carissimum* educere eduxere moribusque magnâ Principe dignissimis à tenello ungve indies imbuere, quæ & accuratissimæ educationis sedula cura tam benignè â natura concessas dotes confirmavit amplificavit auxitque maximè. Quid jam dicam de religiosissimâ Pietate, sola quæ placatum Deum efficit, cujus & aliarum Virtutum *Eandem* in morem satellitii cingentium, semina cun ipso sangvine propagata, accuratâq; institutione adaucta eos uberrimos maturè fructûs tulere quorum odore fragrantissimô allectus atque incitatus *Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus* CHRISTIANUS, *Dux Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium Postulatus Administrator Episcopatus Martisburgensis, Landgravius Thuringiæ, Marchio Misniæ, ùt & superioris & inferioris Lutsaiæ, Comes Marcæ & Ravensberg, Dynasta in Ravenstein, Princeps ac Dominus Noster Clementissimus, Patriæ Pater venerabilis, Nutritius Gymnasii hujus Munificentissimus Virginem Christianam, re & nomine Christianam*, non aliter ac Poëtarum Pandoram, omnium Virtutum ornatu decoratam, ut vidit, visam cupiit potitusque, Deô *Ipsius* & tot Provinciarum ardentissimo voto annuente, cupita est: ita felicissimis optatissimisque auspiciis *Maximi Ducis Conjux Conjugis sui* desideria non tam implevit, quam superavit, hodieque amore sincerô

cerô fide ſingulari, officiô multiplici adimplet ſuperatque longiſſimè, ita ut moleſtiarum nihil, nihil mœroris aut curæ, quæ & laqueata circum tecta volat, ¦Heroicum animum turbet infeſtetque, quod blando *Ipſa* alloquiô, ſalubri conſiliô, dulci ſolatiô non leniat diſſipetque obnixè faciens omnia, quæ placeant, *Ipſa* cui placet, quæ publico expediant, ac ſaluti ſint Provinciis, ſuis ſub ſceptro florentibus, *Parens* etiam eximiâ Dei benedictione *undecim* facta *liberorum*, *quibus de ſuperſtites florentesque hodie videt Principes ſexus melioris quatuor, ſequioris duas*, quos multò rectius veriusque, quam Cornelia Grachos ornamenta ſua ſuosque theſauros dixerit, quique ut vitâ diuturnâ, illibatâ valetudine perpetuaque felicitate coronati jugiter gaudeant, *Celſiſſimæ ſuæ Domus decora & ornamenta*, ſupplices á Deo precamur atque vovemus Omnes, Omnes. Tot, inquam, liberorum Dei gratiâ Parens *Princeps Sereniſſima* ſenſit vicitque dolores & mœrores è præmaturo, dolor! ſuorum obitu conceptos, aliaq; dura & acerba, à quibus nec Illuſtres domos thalamosque immunes eſſe & liberos palam eſt, conſtanti magnoque animo tulit ac pertulit, in hunc usque diem fert ac perfert iisque ferendis ac perferendis fore præſenti ope Dei, ſanctiſſimè quem colit, confiſam planè confidimus. Taceo, quam *Ipſius Serenitas* ſevera ſit in exigendis ad Pietatis honeſtatisque regulam moribus præſertim eorum, qui à latere ſunt & in aula verſantur. Taceo, quam piè religioſa ſit in re divinâ faciendâ, quam frequens & ardens in precibus ad Deum fundendis. Taceo, quam munifica, quam beneficia *Ipſa* in gregem ſit pauperum, quam clementi animo in afflictos, in ſupplices, inprimis *Sereniſſimo & Celſiſſimo Suo Conjugi* revera *Ipſa* eſt, quod olim fuit Tanaquill Priſco Tarquinio, Auguſto Livia, Alceſtis Admeto, Zenobia Otenato, ac proinde Heröinas illas antiquas, omni Virtutis, laudis gloriæque genere non æquantem, ſed ſuperantem Majeſtatemque vultus cum pari venuſtate connexam conjunctamque admirati exclamamus:

Quæ te tam læta tulerunt
Secula? quæ tanti talem genuére Parentes?

Una profectò omniũ digniſſima eſt, cujus immortalẽ famam nulla oblivio vel temporis deleat diuturnitas, *Una*, quâ de nulla, licèt ſera, Poſteritas conticeſcat. *Una*, quam unô ore nati prædicent natorum & qui naſcentur ab illis. *Vivat* itaque, *Vivat*, inquam *Sereniſſima Noſtra Princeps*, *Valeat! Floreat! Vincat!* Vitæ, ſcitô Senecæ, dirus amor

mor, eaque dulcis res chara res est, ὡς ἡδὺ τὸ φῶς βλέπειν, ait ille apud Euripidem, si itaque vita tam dulcis, tàm chara sit: omnes enim mortales amor vitæ tenet, *dulcissima charissimaque Serenissimæ Nostræ Principi* voventes, vovemus Vitam. Faxit Deus humanæ sortis arbiter statorque potens omnium, ut *Princeps Serenissima, Parens Patriæ veneranda*, quem ingressa est annum sextum & quadragesimum, quosque ingressura est publicò rectè cupientium votô quam felicissimè absolvat, ne ante diem invida mors, æquô aliàs pede pauperum tabernas Regumque pulsans turres, injuriosô impetu stantem hanc proruat columnam, ante diem ne filum vitæ, à qua tot Provinciarum, tot Populorum salus pendet, abscindat, potiùs *Ipsa* ab omni mortis vi & periculo liberata diutissimè imperet vitamque ad annos quamplurimos prorogatam omnium, sceptro *Ejus* qui parent, bonô exigat felicissimè. Cum autem perpetuis cum morbis confligi vita non vita sit, sed pœna & tormentum, βίος certè ἄβιος, Deus qui vitam dedit, adjiciat, vovemus valetudinem, condimentum, vitæ, *Ipsius Serenitatis* vires corporis animique ab omni morborum impetu defendat, defensas augeat auctasque confirmat & servet illæsas vegetasque jugiter. *Floreat Serenitas Ipsius*, floreat re salvâ, Illustri famâ floreat, istam ulla ne minuat calamitas, hæc ut incorrupta per ora volitet verô Virtutem pretiô æstimantium, atque ad seram, si qua futura est, Posteritatem propagetur, omnes bonæ felicitates cingant tempora, ne mœrores ulli, ullæ miseriæ hactenus, dolor! *Serenitati Ipsius* gravissimæ serenas in posterum lætitiæ nubes propulsent, sed ut *ipsa Conjugis maximi Scipio, Celsissimæ Domus columna, publicæ rei prora & puppis, Patriæ præsidium & grande decus* audiat gaudeatque perpetuò, quosque maximô Dei beneficiô Filios Filiasque, paternarum maternarumque Virtutum æmulos æmulasq; hactenus vidit, Heröina porro laude famaque florentes videat *vivatque ter & amplius beata. Vincat denique Ipsius Serenitas*, vincat, Deô juvante, omnes vitæ miserias: vita enim vel splendidissima quid, nisi dolor & labor, cum eâ lege nati simus, ut omnibus fortunæ telis vita nostra sit proposita, adversa omnia Heroicâ vincat constantiâ, & tandem, quanquam non nisi serâ ultimaque ætate felicitatum potius, quam ærumnarum satur triumphali laurô eunte circum tempora placidissimâ morte mortalitatem immortalitate mutet, ac per spineta transeat ad roseta, ad gaudia nullis seculis terminanda. Hæc mea vota, brevissima licèt, ab animo piè simplici profecta sentire Deum atque audire spem bonam certamque domum reporto &

una

una mecum juventus, quæ ſub umbra rutæ Saxonicæ in hoc Muſarum templo excolendô vacat ingeniô, omnes & ſinguli conjunctis precibus vovemus, ſupplices has voces & vota,

Deus ut audiat clementiſſimè impleat feliciſſimè.

Xa
3186

Christ-ziemendes Frauen Lob/

Oder

REDE/

Welche die Tugenden und Lob einer Weibes-Person vorstellet/

An

Dem höchst-erfreulichem

Geburths-Lichte/

Der Durchläuchtigsten Fürstin und

Frauen/

Frn. Christianen/

Hertzogin zu Sachsen/ Jülich Cleve und Berg/ Gebohrner Hertzogin zu Schleß-wig/ Hollstein/ Landgrävin in Thüringen/ Marckgrävin zu Meißen/ auch Ober- und Nieder-Lausitz/ Grävin zu der Marck und Ravensberg/ Frauen zu Ravenstein ꝛc.

Zu Bezeigung unterthänigster Devotion in Lateinischer Sprache demüthigst abgeleget/ und ins Teutsche übersetzet

Von

Johann Conrad Sittig.

MERSEBURG/

Gedruckt bey Caspar Forbergern/ Fürstl. S. Hof-Buchdruckern.

Der
Durchläuchtigsten Fürstin und
Frauen/

Fr. Christianen/

Hertzogin zu Sachsen/ Jülich Cle-
ve und Berg/ Gebohrner Hertzogin zu
Schleßwig/ Hollstein/ Landgrävin in Thüringen/ Marck-
grävin zu Meißen/ auch Ober- und Nieder-Lausitz/
Grävin zu der Marck und Ravensberg/ Frauen
zu Ravenstein ꝛc.

Leget diese

Rede

Mit imbrünstigem Gebeth und Heiligem Wunsch
Immerblühender Leibes Gesundheit und vermehrter Lebens-
Kräffte/
auch alles preißwürdigem hohem Wohlergehens
demüthigst zu den Füssen

Johann Conrad Sittig.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-95747-p0016-6

Das Absehen dieser Rede ist auff das gebührende Frauen Lob gerichtet.

Derer viel treten sonsten hervor / welche von preißwürdigen Helden reden / rühmen und ihre vollbrachte Thaten mit Lob biß an den Himmel erheben / derer jenigen aber siehet und höret man gar wenig / welche das ruhmwürdige Frauen-Zimmer / ob Sie gleich an denen von GOTT Jhnen gegönneten Leibes und Gemüths Gaben / dem Männlichem Geschlecht offt nichts oder doch gar wenig bevor geben mit gebührendem Lobe zu beehren sich bemühē. Den Käyser Augustum loben die Marones und Flacci mit vollem Munde / der Käyserin Liviæ geschweigen Sie. Der Macht und Herrligkeit des Xerxis, welcher in Heiliger Schrifft Ahasverus genennet wird / gedencken die weltlichen Geschicht Schreiber nicht ohne sonderliches Wort-Gepränge / der Esther (welche bey Jhnen die Atossa genennet wird) / einer so wohl für GOtt andächtiger / als auch umb ihr Volck höchst-verdienter Königin wird sehr wenig gedacht. Ja welches noch viel ärger / zu allen Zeiten haben sich etliche gefunden / welche uneingedänck daß sie selbsten von Weibern gebohren / übel von denenselben reden und urtheilen / Menander ein Grichischer Poet saget das treuerley böses auff der Welt sey / das Meer / das Feuer / ein Weib. Ein Anderer hat ein Weib ein tägliches Unglück / Sonst iemand ein böses Fieber genennet / Aristippus als er einsmahls ein Weib von kleiner doch schöner Gestalt ansichtig worden / hat darüber gesagt / das Schöne an Jhr wäre kleine / das Böse aber sehr groß: Ja gar hat ein Engeländischer sonst Simreicher Tichter / Weib und Hölle mit einander verglichen / weilen beyde Wörter (uxor und orcus) in Lateinischer Sprache einerley Buchstaben haben. Vor nicht gar vielen Jahren hat sich Einer so boshafften Gemüths und Mundes gefunden / welcher durch offentliche Schrifft geläugnet / daß die Weiber Menschen seyn / und hat solches mit allerhand zusammen gerafften Beglaubigungen zu erhärten kein Bedencken getragen. Welches wir billig verspeien und sagen: Der Herr schelte

dich / du leichtsinniger Wäscher / Gewiß währestu würdig / von aller Menschen Gemeinschafft ausgeschlossen zu werden / weilen du selbsten von einen Menschen gebohren zu seyn / verneinest / und mit deiner verfluchten Schrifft deren Ruhm und Lob zu verringern suchest / denen du doch selbsten und alle deines Geschlechts nechst GOTT / das Leben / Wohlfahrt / ja alles zu dancken habet. Weilen demnach derer wenig / so der Weiblichen Tugenden Ehren Lob laut zu machen sich unterfangen und bemühet / haben mir die Musen und Gratien selbsten Befehl ertheilet / eine von Tugenden leuchtende Frauen-Person von allen Schmachreden zu rächen und mit gebührendem Lobe zu verehren / welcher Befehl von Einem / der sich der Musen und Gratien Diensten ergeben / mit nichten abzuschlagen / sondern vielmehr mit allem Fleiß zu vollstrecken stehet.

Diesen Gehorsam nun ins Werck zu richten will ich es machen wie die lernende Mahler / und die Tugenden einer preißwürdigen Matron sammt dero gebührentem Lob nur mit dem groben Pinsel entwerffen / und die künstliche Außfertigung solches Werckes denen vollkommenen Meistern / das ist denen geübtesten und erfahrensten Rednern überlassen / Eine grosse und schwere Sache ist es / deren ich mich unterfange / davon mich so wohl mein noch schwacher Verstand / als die jungen Jahre nicht unbillig abschrecken solten ; aber so das genügliche Vermögen mangelt / wie der Poet saget / so wird doch der Vorsatz nicht zu schelten seyn / in hohen und wüchtigen Dingen ist auch das Wollen und Unterstehen genung / deßwegen ich bey dem ungezweiffeltem Vertrauen geruhe / es werde deren nach Standes Gebühr Hochgeehrte Patronen und Gönner sonderbahre Zuneigung / und so offt verspürte Wohlgewogenheit / welche ich mit demüthiger Bitte zu Hülffe ruffe mir zugewendet werden / vornehmlich weilen an dem **Höchst-erfreulichem Geburthhs-Lichte** der Durchläuchtigsten Fürstin und Frauen / **Frauen Christianen / Hertzogin zu Sachsen / Jülich Cleve und Berg / Gebohrner Hertzogin zu Schleßwig / Hollstein / Landgrävin in Thüringen / Marggrävin zu Meißen / auch Ober- und Nieder-Lausitz / Grävin zu der Marck und Ravensberg / Frauen zu Ravenstein** / Unserer gnädigsten Fürstin und Frauen / (welcher mit schuldigster Ehrerbietigkeit Hohe und Niedrige verbunden stehen) meinen Mund und Rede zu widmen und vor dero unverrückte Gesund-

sundheit / und hochvergnügentes Wohlseyn einen andächtigen Wunsch abzulegen / gesonnen / tröstet mich die unfehlbar-geschöpffte Gewißheit / dieser **Durchleuchtigste hohe Nahme** werde mir / wiewohl stamlentem Gunst und Gehör erwerben.

